DE

PHLEGMASIAE ALBAE DOLENTIS CAUSIS ET NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. JANUARII A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS RIESEN

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. LUETZENKIRCHEN, med. et chir. Dr.

F. GOEKEN, med. et chir. Cand.

T. NUEWEL, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0078

Caput I.

HISTORIA MORBI.

Morbus a veteribus memoriae non traditus primo commemoratur anno 1676 a Richardo Wiseman hisce verbis:

»Mulier quaedam partu edito difficillimo, febri correpta est et dolore vehementi, femur dextrum occupante, extenso inde a coxa et pube usque ad genu. Tumor dein totum occupavit artum, nec inflammatio adfuit, nec color cutis immutatus. Pluribus in locis natum est pus, cui causticorum et cultri ope via aperta est. Nihilominus duobus mensibus praeteritis aegra mortua est.

Sequitur dein Mauriceau, qui in hunc modum morbum describit:

«Vidi in nonnullis foeminis post partum satis felicem crura et femora oedematosa atque turgida,

interdum ab ano usque ad pedem, cum mox unum tantum corriperetur crus, mox utrumque. Quod malum sequitur saepe dolorem quendam ischiadicum, humoribus effectum evacuandis sed retentis, quibus interdum ita irrigatur nervus iste, ut foemina claudicet morbo sublato.«

Nonnulli etiam huc afferunt locum quendam, a Sydenham citatum, de quo tamen dubium, utrum sit morbus noster, nec ne.

Sed anno 1753 Zinn foeminam vidit, »cujus partu edito difficili lochiisque retentis, oedematose intumuit crus dextrum ab inguine usque ad calcem. Simul affectum est labium pudendi dextrum. Nec purgantia, nec diaphoretica auxilium tulerunt; fumigationibus autem et frictionibus dolor auctus est. Cutis incisa paucas tantum edidit guttas, cum serum telae cellulosae insitum in humorem gelatinosum abiisset. Aegrota mortua est post menses duos.«

Eodem tempore jam Puzos et Levret opinionem suam de metastasi lactea in hunc morbum transferunt. Et quidem Puzos: »cum sit lactis metastasis in cruribus, unum tantum corripitur. Saepe ab uno recedit et transit in alterum. Dolor et tumor ex inguinibus semper initium capiunt et superiori femoris parte, tunc inferiora petunt occupantes genu, suram, pedem.«

Levret autem haec loquitur:

»Lac, e mammis evanescens abit in pelvim, ubi haeret in tela cellulosa, quae rete cum parietibus pelvis conjungit, aut in tela m. psoam inter et iliacum sita, aut in ligamentis latis aut simul in variis his locis. Tunc dolor oritur obtusus in gremio et perscrutando detegitur in cavo ossis ilei tumor. Simul adest dolor in crure inter situm horizontalem major, quam genubus flexis. Plerumque infarctio ista finitur ita, ut humores abeant in telam cellulosam, quae est in intervallis musculorum externorum ejusdem lateris et tandem in adipem, quae est sub cute femoris ac pedis. Quae omnes partes valde intumescunt.

Tumor coloris est lactei, nec digitus impressus vestigium initio relinquit. Tumor statim persentitur tensione quadam dolente in cruribus et vasorum cruralium decursum sequente. Caret tamen plerumque ardore et rubore.«

Hanc Levreti sententiam secuti sunt postea omnes usque ad White, inter quos Sauvages semel quidem sparganosin vocat morbum hisce adjectis verbis:

»Sparganosis ex Dioscoride est lactis redundantia et inde ejus deviatio in alias partes. Hic morbus circa decimum quartum a partu diem apud mulieres lacte redundantes, quaeque lac sugendum non praebent alumnis, indicia sui praebet a dolore

inguinis unius lateris, juxta tractum vasorum cruralium protensus.«

Alio loco autem morbum appellat phlegmatiam lacteam D. Levreti, quo nomine fortasse adductus Hull vocem nunc longe usitatissimam »phlegmatiam albam dolentem« nostrae aetatis initio usurpavit.

Germanorum primus Sachtleben morbum nostrum refert his verbis:

»Lac, cum consistat in tela cellulosa, quae est musculum psoam inter et iliacum, per foramen ischiadicum non raro, sibi viam aperit in femora, crura, pedes, quae tela cellulosa interjecta intime inter se conjunguntur.«

Atque ex hoc tempore plurimi omnium gentium medici morbum observarunt accuratiusque descripserunt. Librum autem monographicum primus scripsit White, nostris vero temporibus Casper et Struve.

Caput II.

DE IIS, QUAE OBSERVATA SUNT IN FUNERIBUS DISSECTIS.

Maxime inter se differunt quae referuntur inventa in corporibus phlegmatia alba dolente solutis,

quo factum est, ut de natura hujus morbi tanta sit inter medicos controversia, adhuc nondum composita.

Scriptorum primus copiose narrat de mortua quadam Casper. Invenit enim pulmones nonnullis tuberculis obsitos, materiam cordis musculosam remisissimam. Hepar admodum amplificatum, molle, pulti simile esse videbatur. Ligamenta uteri lata multa prae se ferebant vasa sanguifera, superficies uteri interna coloris erat viridis et sordidae, mollis, gangraenosa, foetida. Os uteri inflatum, lividum et sicut vagina tota, gangraenescens. Cute cruris dissecta, tela cellulosa soluta et impleta humore quodam bruneo, odore carente, inveniebatur. Glandulae inguinales tumidae et nimio sanguine praeditae, musculi ubique marcidissimi. Vasa sanguifera magna tam in externa, quam in interna superficie omnino sana. In nervis quoque nil aegroti inventum. Praeterea morbosus iste telae cellulosae status non solum in cruribus, sed etiam tota in pelvi usque ad m. iliacum et psoam patebat.

Hopfengaertner in femina quadam mortua vidit arteriam seminalem dextram valde extensam telamque cellulosam vicinam lympha sanguinea impletam. Vena cava et iliaca dextra nigra erat et gangraenosa. Ejusdem conditionis erant vena cruralis usque ad dimidium crus et margo colli uteri

internus. Tela cellulosa cruris massa quadam crassa et gelatinosa infiltrata erat.

Tunc vero D. Davis de quatuor nonnisi foeminis disserit dissectis, quarum una glandulas inguinales exhibebat tumidas, et lividi coloris, venam cruralem a femore sursum versus, venam iliacam ext. et communem extensas et infarctas sanguine coagulato ei simillimo, qui sacco aneurysmatico inest.

De altera autem refert inflammationis vestigia, in cavo abdominis obvia. Vena iliaca externa partibus, quibus circumdatur, filamentorum ope erat adnexa, cujus parietes cuncti condensati. Pars venae ligamento Poupartii substrata permeabilis, sed coarctata erat ex dimidia parte.

In tertia dein foemina inveniebantur vena iliaca externa et communis atque cruralis nimis amplificatae et sanguine quodam coagulato infarctae, aneurysmatico simili. Praeterea humor coagulatus, coloris brunei, aëre mixtus vias illarum fere obturabat. Atque eadem fere erat venae cavae conditio. Quorum vasorum membranae valde inflammatae et partibus vicinis accretae erant.

De quarta tandem tradit Davis, extremitatem inferiorem sinistram tumidam fuisse usque ad labium pudendi, venasque iliacas utriusque lateris sanguine nimio repletas. E vena iliaca caute incisa coagulum sanguinis effluxisse perinde ac e vena iliaca

externa sinistra et communi. Praeterea vena iliaca interna sinistra valde erat inflammata.

Velpeau de tribus foeminis memoriae tradidit observata. Femore inciso dextro magna humoris copia telae cellulosae insita profluebat. Glandulae inguinales rubrae erant atque inflatae, musculi molles et lividi, vena cruralis et hypogastrica rubrae. Venae hypogastricae massa quaedam inerat crassa et puriformis, in regione inguinali partibus vicinis arcte adhaerens. Quae massa in vena iliaca glebulas continebat, in cutem crassiorem sensim abeuntes. Vena cava inferior continebat pus, perinde ac ventriculus cordis dexter et arteria pulmonalis, in quibus autem sanguis puri immiscebatur. Qui sanguis compositus esse videbatur granis raro inter se junctis, diversi coloris, quae humore quodam nigrescente miscentur. Symphysis ossium pubis solutissima, ligamenta ipsius emollita, fibrae altera ab altera remotae, quibus orta lacuna materia explebatur. Eadem observabantur in acetabulo et synchondrosi sacro-iliaca, cujus ligamenta anteriora et posteriora resoluta, conspissata, nigra erant. Superficies cartilaginea flavo-brunei erat coloris. In fossa iliaca externa plura etiam puris collectacula inveniebantur.

Similia inventa sunt in casu secundo. Attamen nulla venarum inflammatio, praeter pus, quod resorptum existimat Velpeau, apparebat. Prae-

ter ligamentum uteri latum sinistrum durum erat et ambitu duos nonnisi digitos patens, maculis nonnullis nigris et puris collectaculis praeditum. Ovarium et tuba ejusdem lateris inflammata, pure impleta et destructa. Glandulae inguinales admodum tumidae, vasorum lymphaticorum plura continebant pus, imo ductus thoracicus.

In tertia tandem reperiebantur juncturae ossium pelvis sinistri lateris admodum discrepantes. Perinaeum versus, inter vaginam et intestinum rectum, nigrum puris collectaculum ovi gallinacei ambitum aequans inveniebatur; sanguis venarum cavarum et atrii cordis dextri ruber erat et tenuis, mixtus striis glebulisque candidis et flavis. Peritonaeum erat inflammatum, ovaria tubaeque inflata, sed rubedine non eminebant. Glandulae lymphaticae mesorecti et pelvis posterioris griseae et massa quadam candida, puriformi circumdatae erant.

Joa. Davies venam cruralem invenit maxime inflammatam et membranas ipsius conspissatas, inflammationem dein extensam per venam iliacam et cavam usque ad diaphragma.

Atque dein Elias a Siebold tumorem genu invenit post mortem evanidum, sed exsudatum in ipso. Vasa lymphatica coloris erant e caeruleo rubri, totumque articuli cavum inflammatum esse videbatur. Uterum circumdabant massae lardosae, flavae, speciem praestantes corpusculorum ovatorum.

nucis avellanae seu juglandis magnitudinem aequantium. Atque uterus ipse interne erat inflammatus et massa quadam puriformi et lardosa, parietibus adhaerente, impletus.

Jam sequitur Fraser, qui totum corporis latus sinistrum tumore correptum vidit. Crus et brachium post mortem multo etiam crassiora, quam in altera parte erant. Musculi pectoris emolliti et in intervallis fibrarum lympha coagulabili impleti. Tela cellulosa brachii inspissata erat massa quadam flava glutinosa, carente omni humore. A loco, quo diffinditur art. iliaca sinistra usque ad diaphragma, series glandularum inflammatarum porrigebat.

Hankel refert de foemina quadam, crus dextrum valde amplificatum fuisse et labium pudendi dextrum valde tumuisse. In cavo spinali plus solito humoris pellucidi inventum, in cavo autem pectoris plus quatuor libris, cui innatabant flocculi candidi, albumini concreto similes. In cavo abdominis et pelvis sana cuncta praeter ovarium caeruleum atque tumidum. Femore inciso dextro hiatus ortus est latus, aqua autem vel humor non apparuit. Sed post aliquot temporis momenta guttulae ex eodem processerunt, sicut sudor emicat e poris. Itaque hiatus iste relictus brevi repletus est eodem, quo pectus humore, super crus dein derivante. —

Sectionum autem summa, quas instituit Helm haec est. Semper inveniebantur aut metrophle-

bitis aut exsudatum quoddam in cavo abdominis, praegressis in vita aut frigoris insultibus, metrophlebitidem indicantibus, aut peritonaeitidis signis. Quae autem peritonaei inflammatio praetermitti facile potuit, cum serum exsudari possit febri et dolore nonnisi perexiguis, imo saepe absque ullo dolore. Attamen cum febri dies quinque aut sex praegressa metastases istae fiant in crus, iisdem tandem febris natura evolvitur, et cavo abdominis accurate illustrato etiam nunc exsudatum fortasse reperitur. Inflammationem autem venarum aut glandularum lymphaticarum artus tumidi numquam prae se ferebant. Atque stria ista rubicunda, chordae similis, toties deerat glandulis lymphaticis, quoties tumor fixus, circumscriptus, venarum decursum sequens, phlebitidis index.

Atque dein Rokitansky, duae, inquit, hujus morbi imprimis reperiuntur causae, quarum prima inflammatio venarum artuum inferiorum praesertim venae cruralis, altera vero inflammatio quaedam telae cellulosae, quae gignit serum purulentum seu lymphaticum. Secernitur enim colliquando humor quidam fibrinae similis, multo sero dilutus, purulentus. Morbus, cum rubor sit quam minimus nec late increscant vasa, mere est exsudativus, telae cellulosae inhaerens atque dissipatur saepe in fasciam cruralem, neurilemata, vasa lymphatica. Interdum etiam humores exsudantur in capsulas syn-

oviales genu et articuli coxae. Varia igitur gignit morbus variosque inde habet fines, qui sunt oedema diuturnum, sclerosis, colliquatio purulenta, gangraena telae cellulosae saniosa.

Caput III.
DESCRIPTIO MORBI.

Initium morbi faciunt dolores vehementes, trahentes, pungentes et maculae rubrae, plerumque in femore, quod zonae instar circumdant et perbrevi in tumorem transeunt strictum, rubrum, splendentem, dolentem. Raptim accrescit et interdum totum occupat crus, quod duplo saepe majus fit. Interjectis aliquot diebus remittit dolor et color cutis e rubro transit in album. Sic tumor fit albus, fracidus, dolore vacuus.

Quo constat tumorem plerumque rubicundum esse, cum doleat, atque dolorem non amplius excitari, cum sit albus.

Saepissime antecedunt signa gastrica. Dolet enim et tenditur regio epigastrica, lingua sordida, muco flavo obtecta, appetitus imminutus, sapor amarus, ructus frequens. Praeterea ut omnes fere tradunt, sedes est impedita. Attamen Hull diarrhoeam semel adfuisse commemorat, et Burns hanc

fert sententiam: »aut obstructa est alvus aut lutulentas edit faeces sive diarrhoea adest sedesque foetidissima et biliosa.«

Secretiones puerperii aut perturbantur aut opprimuntur aut minime ab ordine recedunt. Tumor dum oritur, Davis saepe observavit cordis palpitationes, lipothymias aliaque infirmitatis signa. Plerumque tamen haec non adsunt.

Febris non semper animadvertitur, sed si adest, continua remittens, sub vespere gravior evadit. Thilenius febrem gastricam remittentem vocat; Struve autem hoc modo febrem designat. Post plures seu unum febris insultus, plerumque media nocte dolor oritur et brevi post tumor. Febris permanet et indolem mox sumit gastricam, cum antea interdum sit inflammatoria.

Facile jungitur cum gastrica indole nervosa.

Caput IV.

AETIOLOGIA MORBI.

De causis autem et natura hujus morbi multum disceptatum est a scriptoribus. Nervos enim accusabant alii, alii venas glandulasve lymphaticas, nonnulli telam cellulosam. Inflammatio nunc vocabatur,

nunc hydrops, imo rheumatismi et catarrhi indoles ipsi conciliabatur, quarum primam affert Himly, alteram Treviranus. Eundem metastasin esse, docebant plurimi, quorum ea doctrina, quae metastasis lactea appellabatur, olim longe erat usitatissima. Peritonaeitidis autem et phlebitidis uterinae metastasin esse, nostris temporibus nonnulli affirmabant.

Plurimis antea placuit antiquissima ista de metastasi lactea sententia. Argumenta sumebant e libro Hippocrati adscripto et »de glandulis« vocato, in quo haec exponuntur: »Mammae reliqui corporis redundantiam auferunt. Testimonium ahunde praebent mulieres, quibus morbus aut alia quaedam calamitas mammas adimit. Nam et vox ipsarum aspera redditur et humores in gulam feruntur, et multo sputo vexantur, et caput dolet et ab his aegrotant. Lac enim proficiscens et influens ab utero, quemadmodum etiam antea in superna vasa transierat, cum propria non habeat nec operiat, in principales corporis partes incurrit, cor videlicet ac pulmones atque sic suffocantur.«

Metastasi lactea autem haec fieri ducebant, ut, cum lac e mammis prorsus evanuerit aut prodromis solitis praegressis in easdem omnino non intraverit, in alio loco quodam praeternaturali sive lac, sive humor quidam lacti similis appareat. Attamen non lac, sed pus tale, quale tunicae serosae secernere

solent, inter humores effusos invenitur, et secundum Jörg omnia morbi symptomata jam adsunt, dum lac tandem evanescit. Quare non causa, sed sequela morbi esse videtur secretio lactis sublata.

Qui autem vasis lymphaticis culpam omnem assignant, eadem aut rumpi aut inflammari contendunt. Vis autem partui inserviens cum in vasa agat, intra pelvim sita, pelvi includi lympham eruptam nec in crus effundi et tumorem inde effici necesse est, nec finis esse potest effusionis ejusmodi e vasis laesis nec sponte sua claudendis.

Inflammatio dein glandularum ab Helm nunquam inventa est in mortuis et in vivis tumor ad hydropicum proxime interdum accedit.

Sed veram in nervis ponendam esse morbi nostri sedem, alii contendunt, cum observassent, dolorem et impeditum cruris motum tumori semper antecedere et decrescente hoc illos etiam diu permanere. Afferunt alii, dolorem initio pelvi insidere crusque obsurdescere et tumore plane evanido, diu tamen claudicare aegrotas. Praeterea vehementissimi saepe oriuntur in puerperis dolores, cum nullus omnino adsit tumor. Quamobrem neuritidem duxerunt morbum Hull et Dugès, neuralgiam vero Albers.

Attamen nulla neuritidis vestigia in mortuis invenerunt Casper et Hankel et neuritidi verae

semper deest tumor, sunt autem intermissiones omnino liberae, quibus caret phlegmasia alba dolens.

Hujus rei conditio accuratius illustratur observatione ista Helmii de phlebitidis uterinae metastasibus facta. Dolor, inquit, in articulis, praesertim sub motu accurate designat inflammationem metastaticam. Huc accedit saepe rubedo atque tumor articuli. Tumor extensus, tensus, finitus, dolentissimus, magna praeditus rubedine telam cellulosam subcutaneam seu intermuscularem infiltratam esse demonstrat. Morbo progrediente tumor fit albus et dolore caret. Saepe brevi post fluctuat et, cum aperiatur, magnam puris copiam edit. Saepe accusant aegrotae vehementem in articulis dolorem, quovis movendi periculo augendum, neque tamen observatur rubedo, ardor, tumor. Hoc designat metastasin factam aut in cavo articuli aut in tela cellulosa capsulam circumdante. Quodsi jam contigerit ista, tactu jam valde dolet nec signa inflammationis diu morantur.

Post dolores trahentes, plerumque in extremitatibus tumor surgit extensus, tensus, finitus, dolentissimus, rubicundus. Ejusmodi metastases fortasse multi phlegmasiae albae dolentis casus nominandi sunt. Argumento sunt dolor, tempus, quo apparet tumor, adspectus, periculum, cum mortem saepe ferat.

Metastases autem ejusmodi fiunt a metrophle-

bitide aut in glandula thyreoidea, aut in parotide, aut in symphysi ossium pubis, aut in cute vesicarum purulentarum instar sub epidermide sitarum, aut in tela cellulosa, quae infiltratur. Inter articulos plerumque cubitum occupat aut humerum, minus autem frequenter articulos digitorum, femoris, genu, maxillae inferioris, fines costarum et claviculae. Ossa, si in longum morbus protrahitur, carie corripiuntur, pure perduntur capsulae telaque cellulosa eodem perfunditur. Quae omnes metastases ad gangraenam admodum pronae ubique dilatari ossaque corrumpere student. Nec crisibus similes existimandae sunt, cum vim reciprocam non habeant in morbum, quo gignuntur. Attamen externae faustioris sunt eventus, quam internae. Metastases fiunt inter insultus febriles et quidem eo latius dissipantur, quo majus et vehementius irrumpit frigus. Febris autem modo continua, modo paroxysmos exhibet febriles distinctos, inter quos aut febris aut apyrexia.

Phlebitis dein, ad quam puerperae tantopere inclinantur, a plurimis causa nostri morbi vocata est. Inflammantur autem venae, cum laedantur, praeterea Bouillaud in hominibus, qui febri vehementi perierant, easdem inflammatas invenit et Hunter in iis, qui post amputationes fracturasque complicatas sive gangraena affecti mortui erant. Vena cum inflammetur, apparet dura et nodosa, chordae adstrictae similis; huc accedit ardor et do-

lor, qui occupat artum, interdum abscessus quoque oriuntur. Sin plures venarum sunt inflammatae, plerumque tumore oedematoso artus corripitur. Latissime autem dissipata inflammatione febris excitatur typhosa, putrida.

Etsi jam Hull vasa magna ad morbum progignendum afferre existimaret, tamen Davis accurate primus contendit, causam phlebitidis in inflammatione unius vel plurium venarum grandium pelvis aut viciniae ejus quaerendam esse. Eandem opinionem defendit Conquest, quem sequuntur Velpeau et Andral, qui tamen causam et initium morbi ponunt in synchondrosi sacro-iliaca inflammata. Balling morbum vocat inflammationem telae cellulosae, venas imprimis et glandulas lymphaticas occupantem et a partibus fibroso-cartilagineis pelvis proficiscentem. Tandem Rokitansky duabus nasci perturbationibus ait morbum, phlebitide enim, imprimis venae cruralis et inflammatione telae cellulosae, quae gignit serum quoddam lymphaticum seu purulentum.

Attamen vena cruralis non solum in cavo abdominis, sed etiam postquam excesserat ex eo, inflammata et pure destructa inventa est, cum nullus omnino dolor seu tumor antea adfuisset. Praeterea plane incolumes venas, arterias, nervos invenerunt Casper et Hankel. Inflammatio dein telae cellulosae, quae phlebitidem sequitur, tumorem gignit,

qui eandem, quam vena, tenet viam, chordae adstrictae similem, qui in nostro morbo raro reperitur. Huc accedit observatio **Hunteri**, cunctis telae cellulosae inflammationibus vehementibus inflammationem quoque venarum effici posse, numquam autem fieri contraria.

Quare cum vena cruralis sedes et causa morbi esse non possit, inflammata autem et destructa interdum inveniretur, ad metrophlebitidem ejusque metastases, quibus nonnunquam tumorem ejusmodi effici posse vidimus, vertamur. Metrophlebitis autem accurate designatur tam vestigiis post mortem in pelvi inventis, venis enim infarctis et destructis, pure impletis, partibus genitalibus internis destructis seu inflammatis, quam signis tumorem antecedentibus, dolore in regione uteri, inguinum, synchondroseos sacro-iliacae persenso, juncto cum febri frigoribus eximia, quae cuncta seu sparsa animadversa sunt in casibus ejusmodi memoriae traditis a **Casper, Davis, Velpeau.**

Sed jam supersunt, qui **telam cellulosam** imprimis affici contendunt, quorum alii inflammationem telae cellulosae, ut **Duncan** et **Fraser**; alii vero hydropem esse dicunt auctore **Hankel**. Maximi sane momenti ad procreandum hunc morbum tela cellulosa esse videtur, verum nec inflammatio nec hydrops semper observatur, sed alio tempore haec, alio vero illa, alio dein neutra, cum intra hosce

fines jam multi includantur morbosi telae cellulosae status, nunc inflammatoriae, nunc hydropicae naturae magis obsequentes. Inde exorta nomina, oedema, hydrops anasarca, inflammatio telae cellulosae hydropica, hydrops inflammatorius, in nostrum morbum translata. Sed ex una eademque causa omnes ducunt originem nec sunt inter sese arcte limitandi.

Namque interdum in una extremitate observatur tumor hydropicus, in altera vero inflammatorius, imo observatum in una eademque extremitate, partem ejus superiorem hydrope, inflammatione inferiorem correptas esse, quae tamen mediam partem versus altera in alteram transibant.

Causam autem, cur nunc inflammatio, nunc hydrops oriatur ex una eademque origine, Graves et Stokes hanc afferunt, quod tela cellulosa hoc in morbo inflammetur secundum easdem leges, quas sequuntur tunicae serosae. Cum enim minus inflammentur, magna exhalatur seri copia, aucta autem inflammatione, materiae exsudatae plus inest substantiae animalis, quae lympham coagulabilem proxime accedit aut etiam puriformis est.

Morbi originem ab affectione quadam telae cellulosae duci censet Fricke, sed dubitat, utrum inter inflammationes an nervosos morbos sit numerandus. Strictius jam Boudaut inflammationem telae cellulosae, vasorum lymphaticorum et venarum pel-

vis femorumque vocat causas, simul peritonaeitidem accusat et metrophlebitidem, quae transeant in venas inguinum ac pelvis.

Eandem sententiam affert Ritgen, qui cutem telamque cellulosam regionis uteri ac femorum inflammari putat ita, ut tumor oriatur varii coloris ac generis.

Singularem de hac telae cellulosae affectione sententiam proposuit Helm, qui nonnullas phlegmasiae albae dolentis formas metrophlebitidis esse metastases judicat, alias peritonaeitidi puerperali tribuit hisce verbis:

«Quodsi vis resorbendi in peritonaeitide jam apta et quod exsudabatur, serosae est iudolis, saepissime metastasis serosa fit in tela cellulosa et subcutanea et intermusculari. Hujus seri si magna pars nec citius deponitur, hydrops oritur anasarca, cutis dein sine dolore intumescit, fitque candida, fracida, splendida. Sin citius fit metastasis ista in tela cellulosa, simul excitat inflammationem ipsius, magnus tunc oritur tumor ruber, dolens, tactum digitorum potius ferens, quam hydropicus iste. Ejusmodi autem utriusque generis tumor phlegmasia alba dolens vulgo appellatur.«

»Hujus tumoris causa modusque nascendi a cunctis usque huc praetermissa genusque id, cujus comes ac signum inflammatio, cum alio quodam malo, metrophlebitide effecto confunditur, quod non fieret

nisi sectio funerum atque comparativa vivorum et mortuorum observatio esset omissa.«

Atque alio loco, phlegmasia alba dolens, inquit, morbus est semper metastaticus, cui antequam in conspectum veniret, varia antecedunt signa, olim aut valetudini puerperarum universim turbatae adscripta, aut prorsus neglecta. Hujus morbi causa tam phlebitis uterina, quam peritonaeitis esse potest, a quibus in aliis locis fit metastasis. Metrophlebitidis autem decursus cum admodum obscure ac lente saepissime evadat et nulla praeter leves quosdam febris periodice insultantis motus adsint signa: tumor iste dolens, quippe qui magis in conspectum venit morbi mortisque causa facile haberi potuit. In puerperis autem cum vena cruralis inflammata internum inveniretur sed sedes morbi, in utero vigens, haud inquireretur, phlegmasia a. d. phlebitidis cruralis sequela temere habita est.

Peritonaeitis puerperalis autem cum saepe sine ullo et dolore et febri nascatur et decurrat, negligi facile potuit eo magis, quo latius ista febris puerperalis notio divulgabatur, nullum omnino morbum accurate designans. Tunc autem quoque exsudata lymphatica aut serosa lymphatica in cavo abdominis pelvisque contineri possunt, quorum nulla omnino adest suspicio propter originem inter levia signa absconditam et quae accurata exploratione non adhibita detegi non possunt, quorum tamen tanta est

copia, ut metastases inde oriantur. Cuncta autem haec deposita, tali modo orta, mala primaria facile haberi possunt, et cum metastasibus peritonaeitide ortis major sit ambitus nec in phlebitidem amplius conferri possint, in vasa lymphatica translata est culpa.

Tumores autem isti, peritonaei aut venarum uterinarum inflammatione orti ita inter se differunt.

Febri uterque incedit continua, sed mitiori peritonaeitide ortus, est enim apyrexia plenus. Dolor, antequam prorumperet ille phlebitide natus, vehementissimus, numquam autem per magnum locum diffusus; multo levior tamen et latior in altero. Extremitatem superiorem saepius ille, plerumque juxta articulos vel in iisdem, inferiorem frequentius hic occupat. Nec rubedine hic eminet nec digito resistit, latius saepe quam in dimidio femoris circuitu patens nec accurate finitus, cum contra in illo cutis magnopere rubefiat et intendatur, circumscripta sit et palmae manus superficiem raro excedat. Pus seu ichor post mortem in metastasi phlebitide facta, nunquam pus verum in eo, quem gignit peritonaeitis, sed tela cellulosa seroso quodam fluido infiltrata invenitur.

Atque de hac quidem sententia, phlegmasiam albam dolentem non esse morbum singularem, sed alius morbi exitum, metastasin, sequelam peritonaei-

tidis plerumque et phlebitidis uterinae idem fere judicant alii scriptores.

Sermo jam fuit de Boudant, qui ab utroque morbo saepe nostrum deducit. Sed etiam Michaelis febris puerperalis, cujus causam tamen metastasin lacteam vocat, formam seu symptoma habet phlegmasiam. Eundem febrem puerperalem modificatam appellat Busch, qui duas ipsius docet esse species, lymphaticam enim et nervosam, quae tamen jungi inter se possint. Atque dein Goldmann naturam morbi nervos uteri inflammatos censet aut modo turbatos, qui cessante puerperii secretione morbo afficiantur. Eadem fere judicat Schmitt hisce verbis. »Equidem censeo, phlegmasiam a. d. nasci, cum uterus integram sui valetudinem defendere studeat, semper enim tumore isto cruris lymphatico oriente, dolores abdominis atque uteri, febrem puerperalem comitantes, cessabant. Qui morbus ergo crisis habenda est vel potius metaschematismus, qui suam ipsius habet crisin. Carus dein hoc malum effici putat statu quodam morboso partium genitalium internorum, quae, cum in pristinum statum partu edito redire studeant, turbantur. Exemplo sunt dolor, qui persentitur in sura seu humero dextro, si morbo afficitur hepar, et arthritis sequens actionem venae portarum turbatam. Saepius haec cognovissent medici, si organa interna accuratius perscrutati essent. Idem communem se-

quelam variarum causarum morbum vocat. Sic renem observavit in homine quodam lapide impletum ejusdemque lateris nervos ac venas quam maxime irritatos et inde ortum tumorem.

Eodem nomine plures colligi morbos, censet Velpeau. Non solum autem post peritonaeitidem et phlebitidem,sed etiam post alios morbos phlegmasiam a. d. viderunt multi. Sic in homine observarunt typhum gravem passo Francis et Ives. Treviranus inter febrem intermittentem conspexit bis in viris ortam, Struve autem inter febrem nervosam in sene quodam, post diarrhoeam dein Davis et in virgine haemorrhoidibus coecis laborante vidit eandem Hazeltine. Eandem observavit Reese quinque dies postquam empyema quoddam in oesophagum sese infuderat in foemina non puerpera, Hull dein post anasarca et Hugo post rupturam uteri. Sed post rupturam perinaei gangraenescentem apparuit in foemina, a Struve observata atque in ultimo phthisis stadio vidit eam Davis. His accedit Cheyne, qui narrat, inter epidemiam dysentericam anno 1818 vigentem aegrotos nonnullos, tam viros, quam foeminas tumore quodam, phlegmasia a. d. omnino aequante, correptos esse.

Inter hos casus adnumerandus quoque est casus quidam insignis, memoratus a Flacher.

Foemina quaedam gravida 20 annos nata, magna cum difficultate transvecta est in Americam.

Tunc peperit et quatuor dies post febrem passa est puerperalem quam gravissimam, venaesectionibus, emeticis et purgantibus impugnatam. Qua sublata tumor apparuit abdominis crurumque, emplastris vesicatoriis, urinam simul moventibus, levatus. Sed cum jam reconvalesceret aegrota, phlegmasia a. d. correpta est vehementissima, contra quam profuit aqua medicata Hussonii. Jam vero secuta est gastritis, quae excipiebatur hydrophobia spontanea, qua vigente clysmatum ope tantum nutriebatur aegra. Morbi fines tandem fuerunt spasmi vehementissimi, quibus 40 dies post partum remissis lente reconvaluit puerpera.

Rokitansky tandem »morbus, inquit, oritur e primaria vel secundaria dyscrasia sanguinis puerperarum atque phlegmasia similis in phlebitide nisae viros quoque et virgines corripere potest, cum similes adsint conditiones. Sequitur enim saepe exanthemata, typhum, typhoidem cholericam, dysenteriam, inflammationem tunicae vasorum internae et endocardii. Superiores quoque artus adoriri potest, imo truncum, plerumque tamen inferiores. Interdum fert mortem, saepius autem fit, ut non ipsa, sed varii puerperii eventus interficiant.«

Tweedie tandem morbum observavit tam in viris, quam in foeminis non puerperis post febres

acutas, multo sanguinis mittendo subactas, quo autem lenta facta est reconvalescentia.

Quibus sententiis comprehensis comparatisque constat morbum versari imprimis in exsudato quodam seroso, telae cellulosae artuum subcutaneae insito atque nunc inflammatoriae nunc hydropicae indoli magis obsequente et nasci morbis nisu quodam formativo insignibus, inter quos ii praecipue adnumerandi sunt, quibus evolvitur aut involvitur humani corporis natura, quorum autem puerperium perturbatum principem obtinet locum. Praeterea exanthemata, tuberculosis, haemorrhois huc adnumeranda sunt, quibus phlegmasiam albam dol. nasci docuerunt. Atque observatio ista a Simmons facta, morbum esse natum teste quodam scirrhoso adempto, huc quoque pertinere videtur. Constat enim, testibus ademptis totam, viri cujusvis naturam prorsus immutari atque involvi. Dein Goldmann utero scirrhoso et fungoso ortum esse morbum nostrum vidit. Atqui cognitum est, vitam omnem sexualem mulierum quam maxime pati, si quid inest utero corpus alienum, quo interdum fit, ut signa oriantur graviditati simillima polypis, molis, hydrometra.

Quod autem attinet ad dysenteriam, typhum, choleram, quas sequi phlegmasiam viderunt: inter eos pertinent morbos, qui epidemiarum instar certis quibusdam temporibus oriuntur, quos ad evolven-

dam totius generis humani naturam plurimum valere affirmarunt scriptores.

Sanguis autem his motibus id agit atque molitur, ut aliena omnia atque inepta ejiciantur, quo fit, ut natura ejus omnino immutetur. Atqui cum hepar ad sanguinem reformandum tantam adhibeat industriam in puerperium quoque turbatum morbosque commemoratos, quibus oritur phlegmasia atque inde in hanc ipsam magnam vim exercere oportet. Quod affirmat sententia ista a Busch edita: »hepar, cujus mutationes quidem non satis notae, quod autem jam graviditatis particeps esse variis signis demonstrabatur, in puerperio quoque magni est momenti et si quae fit perturbatio, cum in pristinum redire statum natura studeat, brevi sane et in hepar transfertur morbus.« Symptomata autem, quae morbum antecedunt, gastrica in hunc modum sunt interpretauda. Praeterea Behre foeminas omnes habitu venoso, haemorrhoide, menstruis anomalis, liene haesitabundo insignes ad phlegmasiam a. d. imprimis esse proclives affirmat. Atque dein Struve in duobus viris, nostro malo laborantibus, obesitatem nimiam observavit et Petit refert, aestate saepius quam hieme morbum nasci.

Vires autem naturae, dum emendare sanguinem student, interdum non sufficiunt, quo fit, ut tunicae serosae et tela cellulosa magna irrigentur seri copia atque oriantur variae hydropis species, quae

saepe sequuntur puerperium et imprimis peritonaeitidem puerperalem, exanthemata, dysenteriam, febres acutas et intermittentes variasque hepatis lienisque stagnationes. Sed cum vis resorbendi non fracta prorsus, sed perturbationibus nimis exhausta tantum et oppressa evadat, ita afficitur tela cellulosa subcutanea artuum, ut tumor oriatur, qui est in medio oedematis et inflammationis diffusae telae cellulosae. Quare etiam in longum protrahitur tumor iste usque dum reficiunt vires, quae resorbeant.

Cutis autem quo inertior inter graviditatem, eo gnavior post partum, quo fit, ut quaecunque puerperii perturbatio in eam quoque agat.

Plurimi tradiderunt, post partus leves potius, quam post graves aegrotare nostro morbo mulieres, cujus rei causam in eo versari existimo, quod vis, quam uterus in partum impendere solet, inter leves partus non omnis consumitur, quo fit, ut transeat in puerperium et conamen naturae, in pristinum revertendi statum, efficiat vehementius moveatque inde facilius perturbationes.

Forcipis usum, versionem, partum praematurum, placentam praeviam, haemorrhagias alii tumorem antecedere atque efficere dixerunt.

Inter causas autem occasionales a plurimis refertur perfrictio. Sic refert Capuron, foeminam quandam aqua gelida partu edito praematuro se lavasse, Gittermann aërem accusat perflantem

inter partum in sella editum et Feist eundem in culina post partum. Treviranus observavit puerperam lodice plumea rejecta leviori se obtegentem, et Siebold refert de puerpera quadam, interdiu ad fenestram eam sedisse et noctu accubuisse parieti frigido.

Morbo dein locum dedisse eas, quae mammas non praebuere infantibus, contenderunt Dorfmüller et Siebold; Goldmann autem lochia accusat et lac oppressa; menstrua oppressa Struve et urinam impeditam Burns et Trye. Quam si respicis, parca inventa est inter morbum a Krüger, crassa autem et turbida a Burns et Siebold. Praeterea Puzos malum esse decretum tradit magna urinae copia et Wedenberg sedimentum ejus crassum conspexit, quibus accedit Becker, qui sedimentum invenit album et floccidum.

Ex aliis dein causis, quae afferunt morbum, operationes tradunt chirurgicas, haemorrhagias, cibos nimis nutrientes et calescentes, animi affectus.

Morbum dein in Britannia plerumque observari, docet Carus, eundem inter Batavos saepius oriri, quam inter Gallos, Thyssen, cui accedit Velpeau, qui morbum in nosocomio maternitatis Parisiensi perraro vidit.

Quodsi tandem quaeris de aetate, ea imprimis, quae ducitur ab anno vigesimo quarto usque ad trigesimum sextum, ad phlegmasiam a. d. maxime est prona.

VITA.

Ego, Franciscus Antonius Alexandes Riesen, fidei addictus catholicae, natus sum Paderbornae anno h. s. XIII, patre Antonio Georgio, causidico, et matre Theresia, e gente Thielemann de Schenk, qui jam diem obierunt supremum. Primis litterarum tirociniis imbutus anno XXV gymnasium adii Theodorianum in patria urbe florens Directore t. t. Hilker, quod per sex deinceps annos frequentavi.

Jam vero tempore autumnali anni XXXI. testimonium maturitatis adeptus gymnasii scholas reliqui ac dein per annum scholis interfui, quae eadem in urbe tractantur de logica, metaphysica, philosophia morum ac juris, historia philosophiae ab Ill. Püllenberg.

Autumno dein anni XXXII. Monasterium profectus Guestphalorum in numerum civium academiae Maximilianeae receptus sum ab Ill. Laymann, t. t. rectore magnifico. Ex quo tempore per tres annos theologiae operam dedi. Praeterea autem hasce adii scholas philosophicas:

Zoologiam et botanicam Ill. Becks, chemiam Ill. Schmedding; interpretationes tragoediarum Sophoclis et orationis Demosthenis „de corona" Ill. Winiewski.

Autumno autem anni XXXV. Halam petii et ab Ill. Eiselen, t. t. fasces tenente, numero civium almae Fridericianae adscriptus per annos duos et semestre hasce adii scholas: physicam et chemiam Ill. Schweigger; logicam et psychologiam Ill. Hinrichs; anatomiam et physiologiam Ill. d'Alton, qui artis quoque cadavera dissecandi moderator mihi fuit; pathologiam et therapiam generalem et specialem Ill. Krukenberg; chirurgiam, akiurgiam, doctrinam de ossibus fractis et luxatis Ill. Blasius; pharmacologiam Ill. Friedlaender. Praeterea scholis clinicis ophthalmiatrico-chirurgicis apud Blasium interfui per annum.

Tunc vero officia militaria praestaturus legioni undecimae pedestri adscriptus, Vratislaviae per annum chirurgi munere functus sum. Praeterea scholis interfui clinicis, medicis Ill. Remer et chirurgicis Ill. Benedict per annum. Obstetriciam me autem docuit Ill. Betschler.

Anno praeterlapso tempore paschali anni XXXIX. Halam reversus ab Ill. Laspeyres, t. t. prorectore magnifico, rursum receptus in numerum civium academicorum scholas frequentavi clinicas medicas Ill. Krukenberg per annum et semestre; chirurgicas Ill. Blasius per annum, obstetricias Ill. Niemeyer, quo mortuo Ill. Hohl per annum.

Jam vero tentamine, tam philosophico, quam medico, et examine rigoroso rite peractis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES.

1. Phthisis ex pneumonia non oritur.
2. Defectus menstrui conceptionem non impedit.
3. Medicamentorum vis in aegrotis solis tentanda est.
4. Icterus non est morbus, sed symptoma morbi.
5. In delirio tremente venaesectio quam maxime timenda.